



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCXLII. Der Römische König Albrecht bestätigt der Markgräfin Agnes,
Gemahlin des Markgrafen Heinrich von Brandenburg, alle ihr von ihrem
Gemahle und von dem Markgrafen Otto zum Ehegeschenke ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

integraliter et in toto. In cuius cessionis, resignacionis et translacionis testimonium presentes literas scribi et Majestatis nostre sigillo iussimus communiri. Datum in Frankesurd, XV. Kal. Junii, Anno domini MCCC Septimo. Regni vero nostri anno nono.

Aus Kuchenbäcker, Anal. Hass. XII. 386.

CCCXLII. Der Römische König Albrecht bestätigt der Markgräfin Agnes, Gemahlin des Markgrafen Heinrich von Brandenburg, alle ihr von ihrem Gemahle und von dem Markgrafen Otto zum Ehegeschenke überwiesenen und noch zu überweisenden, vom Reiche zu Lehn gehenden Besitzungen, am 28. Mai 1307.

Nos Albertus, dei gracia Romanorum Rex, semper Augustus, ad uniuersorum sacri Romani Imperii fidelium noticiam volumus peruenire, Quod cupientes Inclitam Agnetem, Illustris Heinrici Marchionis Brandenburgensis vxorem legitimam, consanguineam nostram dilectam, specialis gracia priuilegio preuenire, omnia bona, a nobis et Imperio in feodo descendencia, quibus Heinricus predictus et Illustris Otto Brandenburgensis Marchio, frater suus, eandem Agnetem dotauerunt et que in donacionem sibi propter nupcias donauerunt, eidem Agneti concessimus. Et in hoc motu voluntario consentimus, nostrum expressum adhibentes assensum, quod Marchiones prefati eam ulterius de bonis, que a nobis et Imperio in feodum habere dinoscuntur, dotare, et in donacionem propter nupcias donare possint eidem, pro suo beneplacito voluntalis. Que a nobis et Imperio similiter feodali titulo possidebit. In cuius rei testimonium presentes litteras nostre maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum in Frankensurt, V. kal. Junii, Anno domini millesimo trecentesimo septimo, Regni vero nostri anno nono.

Nach dem im Königl. Sächsischen Landes-Archive befindlichen Originale

CCCXLIII. Markgraf Hermann bestätigt der Stadt Frankenstein als Tutor Silesiae ein im Jahre 1298 vom Herzoge Bolko erhaltenes Privilegium, am 21. November 1307.

Nos Hermannus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio et dominus de Hennenberg tutorque Silesie, recognoscimus et ad uniuersorum presentibus peruenire cupimus noticiam, quod literas incliti principis, sororii nostri, domini ducis Bolkonis pie memorie, honestis uiris et discretis ciuibus ciuitatis Frankenstein super depositione plumbi et salis datas, uidimus, non uiciatas et sigillo suo rationabiliter confirmatas et sigillatas sub hoc tenore, prout inferius continetur.

In nomine domini Amen. Quoniam, ut ait apostolus, omnia, que exscripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, audita ratio ueritatis consona docet nos acta presentia digna memoria sic scriptis et sigillorum impressiõibus seruare integra, ne per obliuionis exitum